



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Quàm misera, quamq[ue] periculosa sit in diuitijs felicitas?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

Quænam ergo potest esse in diuitijs felicitas? Acquiruntur, non sine cura ac labore, & plerumque non sine scelere; possidentur sæpius à malis, nec sine litibus & anxietate; amittuntur cum dolore. Parum hoc esset, nisi etiam cum illis toties amitteretur felicitas sempiterna. Atq; vt infelix hæc felicitas tantò promptius spernatur, docet S. Ambrosius ideò pro vera haberi felicitate eam nõ posse, quia si non est scelerata, saltem facit sceleratos. *Oremus hic*, inquit, *potius laborem subire, vt in regno calorum consolationem quietis aterna mereamur adipisci. Magna enim illecebra delinquendi est rerum affluentia secundarum. Supinat, extollit, obliuionem auctoris infundit. Considera illum diuitem in Euangelio supra ostrum & purpuram recumbentem, cuius de mensa micæ iustus ille pauper Lazarus colligebat. Nonne videtur tibi diues ille ad Dominum dicere: Discede à me, vias tuas scire nolo? Et verè noluit scire huius vias Domini. Si enim vellet, cognosceret. Sed quia plena sunt laboris, fugiuntur & declinantur à perditis. Quasi ebrius itaq; non recognoscit salutis auctorem. Deinde conuersus ad compotores suos. Manducemus, inquit, & bibamus: quid prodest, si seruiamus ei? Aut quæ utilitas, si obseruamus eum? Hæc itaq; dicit secularium rerum abundantia temulentius, quia in seculo continuo scelerum merito non rependuntur. Supinabatur enim, quia in manibus ei ad voluptatem omnia suppetebant, & conscius impietatis suæ cuius pœna sequestrabatur, putabat, quod Deus impiorum scelera non videret. Non autem Deus, sed ipse non videbat, à cæco Pluto exoculatus.*

VII.

S. Ambrosius
in tract. de
secunda in-
terpellat.
Iob.

Monymus, auctore Laërtio, erat Corinthij cuiusdam Trapezitæ seruus: qui cum Philosophiæ amore teneretur, cuperétque maximè operam dare Diogeni, neq; tamen hoc ipsum à Domino posset precibus vllis impetrare, simulatâ insanîâ, monetam cepit spargere; eo modo dimissus, ad Philosophiam se conuertit, Diogenemque secutus est. Hunc modum tenent, qui veram sapientiam sectantur: pecunias abijciunt, omnia quæ possident, abdicant, ne vitij's irretiti à cælesti Philosophia retrahantur. Videntur quidem insanire, sed illis duntaxat, qui olim dicent: *nos insensati, vitam illorum aestimabamus insaniam, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Tales filij fuère, quotquot, paupertatem amplexi, cum Benedicto, Bernardo, Francisco, Ignatio, aliisque Sanctis, nudi omnibus diuitijs, nudum Christum sequi voluerunt; paupertate atq; inopia felices; qui abundantia & opibus miseri extitissent.

VIII.

Sap. 5.

Rr 3

Verùm